

1. Paulus victus Christi Jesu, et Timotheus frater: Philemon dilectus et adiutor nostro, 2. et Appia sorori charissimae, et Archippo commilitoni nostro, et Ecclesiae quae in domo tua est. 3. Gratia vobis, et pax a Deo Patre nostro et Domino Jesu Christo. 4. Gratias ago Deo meo, semper memoriam tui faciens in orationibus meis, 5. audiens charitatem tuam, et fidem, quam habes in Domino Jesu, et in omnes sanctos: 6. ut communicatio fidei tuae evidens fiat in agnitione omnis operis boni, quod est in vobis in Christo Jesu. 7. Gaudium enim magnum habui, et consolationem in charitate tua: quia viscera sanctorum requieverunt per te, frater. 8. Propter quod multam fiduciam habens in Christo Jesu imperandi tibi quod ad rem pertinet: 9. propter charitatem magis obsecro, cum sis talis, ut Paulus senex, nunc autem et victus Jesu Christi: 10. obsecro te pro meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, 11. qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem et mihi, et tibi utilis, 12. quem remisi tibi. Tu autem illum, ut mea viscera, suscipe: 13. quem ego volueram tecum detinere, ut pro te mihi ministraret in vinculis Evangelii; 14. sine consilio autem tuo nihil velui facere, uti ne velut ex necessitate bonum tuum esset, sed voluntarium. 15. Forsitan enim ideo discessit ad horam a te, ut aeternum illum reciperes, 16. jam non ut servum, sed pro servo charissimum fratrem, maxime mihi; quanto autem magis tibi et in carne, et in Domino? 17. Si ergo habes me socium, suscipe illum sicut me. 18. Si autem aliquid nocuit tibi, aut debet: hoc mihi imputa. 19. Ego Paulus scripsi mea manu: ego reddam, ut non dicam tibi, quod et te ipsum mihi debes. 20. Ita frater, ego te fruor in Domino: refice viscera mea in Domino. 21. Confidens in obedientia tua scripsi tibi: sciens quoniam et super id, quod dico, facies. 22. Simul autem et para mihi hospitium: nam spero per orationes vestras donari me vobis. 23. Salutem et Epaphras concaptivus meus in Christo Jesu, 24. Marcus, Aristarchus, Demas et Lucas, adiutores mei. 25. Gratia Domini nostri Jesu Christi cum spiritu vestro. Amen.

4. PAULUS VICTUS CHRISTI JESU, ET TIMOTHEUS FRATER: PHILEMONI DILECTO, ET ADIUTORI NOSTRO, 2. ET APPIAE SORORI CHARISSIMAE, ET ARCHIPPO COMMILITONI NOSTRO, ET ECCLESIAE, QUAE IN DOMO TUA EST. — Vide quot titulis et nominibus pulset hic Apostolus mentem Philemonis, ut Onesimum in gratiam recipiat.

Primo, ego «vinctus Christi», inquit, hoc a te poseo; da ergo hoc solatium et gaudium mihi vincto, imo da hoc Christo, pro quo ego vinctus sum, factusque quasi servus similis servo tuo Onesimo.

Secundo, idem poscit «Timotheus frater» tam tuus, quam meus, in Christo, id est Christianus.

Tertio, tu es mihi «dilectus et adiutor»; da hoc ergo dilectioni nostrae. Rursum, soles non tantum quosvis miseros et pauperes, sed etiam me tuus opibus et opera in Evangelio adjuvare; jura ergo et suscipe hunc visillum servum tuum per me conversum.

Quarto, salutando Appiam et Archippum, tacite eosdem, inquit Theophylactus, deprecatores secum pro Onesimo adsciscit, tanta erat charitas et sollicitudo Apostoli, ut unum hominem fugitivum domino suo reconciliaret.

Nota secundo: Haec Appia uxor erat Philemonis, ut docet Chrysostomus, Theodoretus, Theo-

phylactus. Hanc «sororem» suam vocat, scilicet in Christo. Omnes enim Christiani in symbolum eximiae charitatis mutuae, omnes viros Christianos vocabant fratres, omnes feminas sorores, tanquam ex eodem patre, scilicet Christo; et matre, scilicet Ecclesia, genitos et genitas.

Nota tertio: Hic Archippus Episcopus et praedicator erat Colossensium, inquit Ambrosius et Hieronymus; unde eum hic Paulus vocat commilitonem suum, et ad Coloss. 19. 17. de eo scribit: «Dicitur Archippo: Vide ministerium, quod accepisti a Domino, ut illud impleas.» Licet Primasius velit Archippum tantum fuisse diaconum, Epaphras vero fuisse Episcopum Colossensium: de quo vers. 23. Videtur autem hic Archippus habitasse Colossis, in domo Philemonis. Haec enim de causa eum cum Philemone salutavit; hinc etiam addit salutem etiam «et Ecclesiae (id est congregationi fidelium) quae in domo tua est,» scilicet, o Philemon (ad eum scribit, eumque alloquitur, non autem Archippum), utpote in qua multi sunt fideles, cum in ea habitet Archippus Episcopus, ideoque ad eam quasi communem Episcopi et fidelium ecclesiam Christiani sacrorum causa conveniant.

4. GRATIAS AGO DEO MEO, SEMPER MEMORIAM TUI FACIENS IN ORATIONIBUS MEIS, 5. AUDIENS CHARITATEM TUAM, ET FIDEM, QUAM HABES IN DOMINO JESU, ET

IN OMNES SANCTOS. — Graece non est *tu*, sed *ei*, id est *in*, vel *erga* Dominum Jesum et omnes sanctos. Ita Chrysostomus et Ambrosius.

Nota: Fidem quam habemus in Dominum Jesum, eandem habemus et in omnes Sanctos: sicut enim credimus Jesum esse Messiam et Salvatorem, caputque Ecclesiae Dei, ita pariter credimus Sanctos Jesu veros esse sanctos, veramque Dei Ecclesiam; et amando ac adhaerendo Sanctis, amamus ac adhaeremus Christo, ac consequenter benefacendo Sanctis, benefacimus Christo. Apostolus enim loquitur de fide non nuda et interna, sed de ea, quae per opera sese exerit et communicat, ut mox ipse subiungit.

Hinc sequitur, eum qui honorat et invocat Sanctos, nihil detrachere Christo, imo hoc ipso honorare et invocare Christum. Unde Exod. xiv. 31, dicitur: «Crediderunt Domino, et Mosi servo ejus.» «Hoc autem, inquit Hieronymus, non solum in Mose, sed in omnibus Sanctis ejus est, ut quicumque credit Deo, aliter ejus fidem recipere nequeat, nisi credat et in Sanctos ejus: non enim est in Deum perfecta dilectio et fides, quae in ministris ejus odio et infidelitate tenuatur.»

6. UT COMMUNICATIO FIDEI Tuae EVIDENS FIAT, IN AGNITIONE OMNIS OPERIS BONI, QUOD EST IN VOBIS IN CHRISTO JESU. — Communicationem fidei vocat fidei communionem; sive quod tu, o Philemon, nobiscum in fide communices, habeasque communem et eandem nobiscum fidem, aequae ad spem.

Secundo et plenius, communicationem fidei vocat elemosynas et officia charitatis in Sanctos, ex fide viva et ardenti manantia.

Nota primo: Haec verba referenda esse ad superiora, scilicet ad illa, «semper memoriam tui faciens in orationibus meis,» q. d. Oro instanter et assidue pro te, ut communicationem hanc bonorum operum, ad quam fides te incitat, ostendere et perficere pergas; ut liberalitas tua nunquam cesset, sed potius, ut quaecumque potes effundas in agentes, maxime Christianos. Ita Theophylactus.

Nota secundo: Pro evidens, graece legit noster Interpres *εvidης*: per *a*; jam cum Hieronymo, Chrysostomo, Theophylacto per *ε* legunt *εvidης*, id est, effluax, operatrix, et operibus florens, scilicet fiat

fides et communicatio fidei tuae. Adverte, Apostolum posere fidem non otiosam et nudam, sed efficacem, quae flores et fructus pariat elemosynae et bonorum operum. Verum melius Noster legit *εvidης*, id est, evidens: sequitur enim, «In agnitione omnis operis boni,» q. d. Ut omnibus evidens fiat fides tua, dum agnoscunt et vident elemosynas et opera tua bona, quae per fidem hanc incitant operari, «idque in Christo Jesu,» id est per legem, doctrinam et gratiam Christi Jesu, q. d. Cum sis tante in — meae charitatis, eam in tuum Onesimum quoque ostende, eumque in gratiam recipere. Ita Theophylactus.

Aliter Anselmus, «in agnitione,» inquit, id est, ut in cognoscas practice, id est, ames et peragas omne bonum. Sed prior sensus planus et genuinus. Denique vox *operis* non est apud Hieronymum, Chrysostomum, Ambrosium: st tamen in Syro et Biblilis Regibus (1).

7. GAUDIUM ENIM MAGNUM HABUI ET CONSOLATIONEM IN CHARITATE TUA, QUIA VISCERA SANCTORUM REQUIEVERUNT PER TE, FRATER. — Nota primo: Pro gaudium graece est *χαρην*, id est gratiam: sed Apostolus *χαρην* accipit pro *χαριτι*, id est gaudium, tam hic quam *in Corinth.* 1. 48, ut docent Chrysostomus et Theophylactus, quin et Erasmus, Vatablus et Beza.

Nota secundo: «Requieverunt,» id est, recreata et refocillata sunt. Sicut enim verina innas, fame laetans et exhaustas, ita et termina viscerum, ipsaque viscera sedantur et quiescunt, dum impleantur et saturantur.

Nota tertio: Per viscera Vatablus intelligit ventres, quos satiavit Philemon; sed plus significat «viscera,» scilicet tam intimas necessitates, quam consolationem ad intima corporis et animi penetralia pertingentem, ac quasi cor ipsum reficientem et recreantem, q. d. Intima consolatione affecti Sanctos, id est, Christianos, dum eis in summa necessitate, tanta charitate succurristi, o Philemon. Ita Theophylactus. Sic enim e converso Hebraei רחמים *rachaminim*, id est viscera misericordiae, dant eis qui profusi sunt in opera misericordiae, quod videlicet intima aliorum miseria tangantur, et ex intimis visceribus miserationum misereantur, adeoque ex hac miseratione viscera ipsa, quae sedes sunt compassionis et condolentiae, in his commoveri et contorqueri videntur. Viscera ergo misericordiae significant manentem misericordiam. Sic Zacharias canit, Deum nos ex alto visitasse «per viscera misericordiae;» quia cum dedit nobis Christum Filium suum, quasi sua viscera in nos effudit.

Notat S. Hieronymus artificium et rhetoricam Christianam Pauli, qua ita impense in proemio laudat Philemonem, ut ille id, quod postea petitur, negare non audeat, ne suis laudibus videatur indignus.

8. PROPTER QUOD MULTAM FIDUCIAM (magis obsecro, id est libertatem) HABENS IN CHRISTO JESU (per Christum Jesum) IMPERANDI TIBI QUOD AD REM PERTINET, — et obsecro, id est, quod decessis, conveniens et officii tui est, ut scilicet solitam tuam charitatem in servum tuum penitentem ostendas.

9. (Tamen) PROPTER CHARITATEM MAGIS OBSECRO, CUM SIS TALIS, UT PAULUS SENEX, NUNC AUTEM ET VINCTUS JESU CHRISTI, — q. d. Cum mihi quasi patri spiritali tuo liberum sis propter Christum

(1) Rosenmüllerus graecum sic verit: Optans, ut fides, quam nobiscum habes communem, magis magisque se manifestet (per opera bona), tuoque cognoscas magnitudinem beneficiorum quae debemus Christo.

Fides in Jesum et Sanctos videtur.

Per Sanctos cultum nihil demitur Christo.

Verb. 6.

Communicatio fidei, quid hic?

Archippus quia est visillum

Apostolus non otiosam et nudam, sed efficacem, quae flores et fructus pariat elemosynae et bonorum operum.

Quotquot motiva, quibus Paulus Philemonem suum in dicit ad Onesimo scribitur.

Quid intelligatur per illud, Viscera sanctorum requieverunt?

Hebraei misericordias dant viscera misericordiae.



tibi imperare, ut Onesimum in gratiam recipias: malo tamen non auctoritate uti, sed precibus, et per charitatem te obsecrare, ut idipsum factus cum sis senex eque ut ego. Senes enim non increpandi, sed rogandi sunt, inquit Anselmus, Hieronymus, Theophylactus.

Nota: Pro cum sis senex graece est παλαιός, id est, quod Hieronymus, Vatablus et alii vertunt, cum sim talis, scilicet Paulus senex. Nam vocula ut interjecta sepe non est nota similitudinis, sed veritatis, significans scilicet: atque hoc modo haec verba Graeca syntaxi recte coherent cum παλαιός, id est, obsecro, q. d. Obsecro te cum sim talis, scilicet Paulus senex: senum enim, cum sint debiles et infirmi, est orare et obsecrare. Verum per hebraismum Noster cum Ambrosio melius vertit, cum sis senex, scilicet tu, o Philemon. Hebraei enim כִּי הִי, id est, quia, cum, aliasque similes conjunctiones causales et rationales sepe subaudiunt, et participium sumunt pro presenti indicativo vel conjunctivo quo carent, scilicet כִּי pro et vel ꝑ, nam, ut dixi, senum potius est rogari, quam rogare et obsecrare.

Nota secundo: Te nunc autem et vinculus Jesu Christi referendum est tantum ad Paulus senex, non autem ad cum sis talis. Nec enim Philemon similis erat Paulo in vinculis, sed tantum in senio: addit enim Paulus senio sua vincula, ut efficacior sit obsecratio, q. d. Da hoc senio meo; si non, da saltem hoc vinculis meis.

40, 41 et 42. OBSECO (INQUAM) TE PRO MEO FILIO, QUEM GENUI IN VINCULIS ONESIMO, QUI TIBI ALIQUANDO INUTILIS FUIT, NUNC AUTEM ET MIHI ET TIBI UTILIS, QUEM REMISI TIBI. — Post longas insinuationes quasi parata jam via, tandem hic proponit suam petitionem, nomenque servi Philemoni inuisi, illudque illi amabile et suave efficit, dum vocat eum filium vinculorum suorum, sibi que et illi utilem. Admiratur hic S. Hieronymus magnanimitatem Pauli, mente in Christum ferventis: « Tenetur, inquit, in carcere, vinculis stringitur; squalore corporis, charorum separatione, penalibus tenebris coartatur: et non sentit injuriam, non dolore cruciatur, non novit aliud nisi de Christi Evangelio cogitare; sciebat servum, sciebat fugitivum, sciebat raptorem, » et hunc tamen in carcere docet, catechizat, convertit, baptizat, et quasi filii loco habet.

Nota primo: In Graeco pulchra est anthesis, et

est inutilis, imo noxius et damnosus; jam est onesimus, id est utilis: olim Paganus, jam Christianus; olim fur, jam fidelis servus; olim profugus, jam rediit, ut tibi sit assecla fidus et perennis.

Nota tertio, cum S. Hieronymo, spiritum et efficaciam Pauli, qua ita cito Onesimum convertit, et ex tam inutili et perverso, tam utilem et eximium efficit, ut eum optet sibi ministrum in vinculis: cum enim dicit eum sibi esse utilem, tacite postulat, inquit Theophylactus, ut sibi remittatur; remittit tamen eum ad herum, tum ut ejus iracundiam placet, tum ut ostendat servos fugitivos jure justitiae heris suis esse restituendos. Hinc eundem Onesimum recens a se conversum vocat charissimum et fidelem fratrem, Coloss. iv, 9.

42. TU AUTEM ILLUM, UT MEA VISCERA, SUSCIPE. — Significantius idipsum habet Graeca, ἀδελφὲν καὶ ὡς ἐπιτέλεσται, id est, ipsum, hoc est mea viscera, suscipe: « viscera » sua vocat filium suum, quem genuit in Christo. Videntur enim filii esse quasi pars viscerum matris: quod in se transfert Paulus, ut maternum et tenerimum affectum suum in Onesimum exprimat: hunc enim magis significat vox viscera, quam vox filius (1).

43 et 44. QUEM EGO VOLUERAM MECUM DETINERE, UT PRO TE MIHI MINISTRARET; SINE CONSILIO AUTEM TUO NIHIL VOLEI FACERE, UT NE VELUT EX NECESSITATE BONUM TUM ESSET, SED VOLUNTARIUM. — « Bonum, » id est beneficium, « tuum. » Hoc enim significat Hebraicum טוב טוב, id est bonum, Pungit novo stimulo Philemonem, q. d. Tu mihi in vinculis servare debueras, idipsum pro te praestitit servus tuus Onesimus, ergo illi a te ad me profugo potius gratias agere debes, quam irasci.

45 et 46. FORSTAN ENIM IDEO DISCESSIT AD HORAM VINCULI (id est, ad breve tempus) A TE, UT ETERNUM ILLUM RECIPERES, JAM NON UT SERVUM, SED PRO SERVO CHARISSIMUM FRATREM, MAXIME MIHI: QUANTO AUTEM MAGIS TIBI, ET IN CARNE ET IN DOMINO? — « Eternum » vocat eum qui jam conversus fideliter, spiritu Christiano, hero suo erat asseclatus, tum in hac vita, tum in futura. Ita Anselmus.

Secundo, noster Interpres vertit, pro servo, quia in Graeco legit, uti et Syrus, κατὰ δούλον. Jam autem legunt, κατὰ δούλον, id est, supra servum, majorem et praestantiorum servo, puta fratrem, utpote fidelem et Christianum jam effectum recipies.

pium ad oculum tibi serviebat, jam vero tibi serviet, tibi que adhaerebit fidelissime, quasi frater, ex amore et spiritu Christiano. tam in rebus temporalibus quam divinis. Ita S. Hieronymus et Theophylactus.

Denique notat Hieronymus rursus artificium Pauli: ut fugam enim servi elevet et excuset, dicit Dei providentia eam factam esse, ad majus tam ipsius quam heri bonum. « Nonnunquam, inquit Hieronymus, malum occasio fit bonorum; et hominum prava consilia Deus vertit ad rectum. Quod dico, manifestius exemplo fiet. Joseph, fratres zeli stimulis incitati, ismaelitis viginti argenteis vendiderunt: hoc initium et patri et fratribus et omni Aegypto bonorum omnium fuit. Denique ipse postea ad fratres: Vos, inquit, cogitastis de me mala, et Deus cogitavit de me bona. Simile quid et in Onesimo possumus intelligere, quod mala principia occasiones fuerint rei bonae. Si enim dominum non fugisset, nunquam venisset Romam, ubi erat Paulus vincetus in carcere. Si Paulum in vinculis non vidisset, non recepisset fidem in Christum. Si Christi non habuisset fidem, nunquam Pauli effectus filius in opus Evangelii mitteretur. Ex quo paulatim et per gradus suos reciprocante sententia, ideo minister Evangelii est factus Onesimus, quia fugit a Domino. »

Est hic locus moralis de Christiana humilitate: apud Christianos enim servi sunt fratres suorum dominorum in Christo. Vide Chrysostomum in morali hom. 3, ubi simul docet de ipsamet humilitate sua neminem gloriari aut sese extollere, sed magis unumquemque humiliari debere.

SI ERGO HABES ME SOCIUM, — id est amicum, si inter amicos me numeras.

47. SUSCIPE ILLUM SICUT ME. — Amicorum enim omnia sunt communia. Haec est ratiocinatio Apostoli. Ego sum Onesimo socius, id est tanta est mihi cum illo communio, ut ille sit alter ego: recipe ergo illum sicut meipsum. « Consideremus hic, ait Hieronymus, quantum laudetur Onesimus, quantumque tam parvo tempore profecerit sub Paulo, cum ita recipiendus sit, ut Apostolus; et sic ejus, ut Pauli, dominus debeat desiderare consortium. »

48. SI AUTEM ALIQUID NOCUIT TIBI, AUT DEBET, NOC MIHI IMPUTA, — q. d. Furtum et debitum ejus in me transcribe.

tuum conversionem ad Christum et salutem, mihi debes; itaque si tu et tua mea sunt, ergo et Onesimus, qui tuus est, meus est. Ita Hieronymus et Anselmus.

20. ITA, FRATER. — Pro ita graece est interjectio asseverantis et confirmantis, q. d. Certe, ne dubites, ego omnino rependam Onesimi debitum.

Secundo et melius, S. Hieronymus vii accipit quasi respondens Hebraeo וְנָתַתְּ אֵנָּה, quae est interjectio blandientis, q. d. Quares, obsecro te, frater, preces meas pro Onesimo exaudi: ita enim illi veniam blanditur. Unde subdit:

Ego TE FRUAR IN DOMINO. — q. d. Ego voluptatem miram capiam ex te, cum hanc rem tam piam et justam in Domino, id est, in re dominica et Christiana, mihi concesseris. Unde Syrus vertit אֶתְּנָתְּ אֶתְּנָתְּךָ, id est, ego recoffabor, vel suavior requiescam in te. Grecum ἀγαπᾶς, id est, fruor, alludit rursum ad nomen Onesimi, q. d. Ego ex te fructum consolationis capiam, si Onesimum, id est fructuosum et utilem, in gratiam recipias.

Notat S. Augustinus, Anselmus, Beda, et ex iis Magister in I. dist. ii, frui tantum licere Deo quasi sine ultimo, uti vero nos creaturis, quasi mediis ad illum finem assequendum. Frui enim idem esse quod finem, sive complementum letitiae, ac consequenter beatitudinem et felicitatem in aliqua ponere: quod non aliter fit, quam cum ultimo fini nostro suavissime et perenniter inhaeremus. Volunt ergo Patres citati, frui hic ab Apostolo abusive sumi, ut sit idem, quod cum delectatione uti; vel certe secundo, ut idem Augustinus, lib I De Doct. Christiana, cap. xxxiii, et ex eo Anselmus, q. d. Fruar te, non in te, sed in Domino, id est Domino fruar, et in eo ac per eum te et omnibus aliis, quos meae fruilitionis ac visionis divinae socios habeo in caelo; aut tertio, ut Hieronymus, q. d. Impreor tibi, o Philemon, clementiam: charitatem aliasque virtutes Dominicas. ut te illis repleto fruar, id est gaudeam, in Domino. Verum ut hi sensus, praeter mentem et scopum Apostoli sunt, ita et haec acceptio vocis frui recentior est. Cœpit enim a S. Augustine, a quo ceteri Patres et Theologi eam mutuati sunt: nam Ciceroni et prisca Latini frui proprie est fructum, utilitatem et voluptatem ex aliqua re capere. Sic enim dicimur frui vita, bonis, amicis, quibus nihil est dulcius; et hoc proprie significat

Frui re, ex qua fructum capimus. Unde Theophylactus sic exponit



accidit jucundius. Si hoc mihi presiteris, cor meum mulcebis, et miro gaudio delinies. Vide dicta vers. 7 et 12.

22. PARA MIHI HOSPITIUM. — Audi S. Hieronymum: «Non puto tam divitem fuisse Apostolum, et tantis sarcinis occupatum, ut preparato egeret hospitio, et non una contentus cellula, breves sorporis sui spatia ædes amplissimas existimaret: sed ut, dum eum expectat Philemon ad se esse venturum, magis faciat quod rogatus est.» Et mox: «Apostolo magis quam Paulo hospitium preparandum est. Venturus ad novam civitatem, predicaturus crucifixum, et inaudita dogmata delaturus, sciebat ad se plurimos concursuros. Et necesse erat primum, ut domus celebri esset urbis loco, ad quam facile conveniretur. Deinde ut ab omni importunitate vacua, ut ampla, quæ plurimos caperet audientium: ne proxima speculorum locis, ne turpi vicinia detestabilis. Postremo ut in plano potius esset sita, quam in cœnaculo. Quam ob causam existimo eum Romæ in conducto mansisse biennium. Nec parva, ut reor, erat mansio, ad quam Judæorum turbae quotidie confluebant.» Actor. XXVIII, 30. Lustravi ego conductum hoc S. Pauli hospitium, adeoque juxta illud habitio: conversum est in ecclesiam, vocaturque Diaconia S. Marie in Via lata. Sane per-

amplum fuit et in celeberrimo urbis loco. Nemo ergo miretur, si Religiosi qui proximorum salutem addixerunt, similia quærant in urbibus loca: non enim sibi et suis commodis, sed civium consulunt.

NAM SPERO PER ORATIONES VESTRAS DONARI ME VOBIS, — ut scilicet liberatus et vinculis, vobis restituar. Duo hic discimus, ait Theophylactus: Primo, quod sit ingens orationum virtus, si quidem Paulus talis tantisque illarum opo indicat; et si ille, quis non? Secundo, quod oporteat nos humili esse spiritu, quandoquidem Paulus discipulorum precibus indigebat; quodque utilissimum sit aliorum, præsertim Sanctorum, preces expossere.

22. SALUTAT TE EPAPHRAS CONCAPTIVUS MEUS IN CHRISTO JESU, — id est propter Christum Jesum. Sic enim sæpe accipitur Hebræum *bet*, id est in. Ita Theophylactus. Ille Epaphras Episcopus fuit Colossensium, simulque curam gerebat Ecclesie Laodiensis et Hierapolitane, ut docet Paulus *Coloss. iv, 12*. Sed cum Romæ in vincula coniectus est, suffectus ei videtur Archippus, ut docet Ambrosius, et insinuat Paulus, ut dixi vers. 2.

24. DEMAS. — Hic est, ait Theophylactus, qui postea a Paulo deficit. De quo dixi II *Tim. cap. iv, 9*,

## COMMENTARIUS

IN EPISTOLAM

# AD HEBRÆOS.

### ARGUMENTUM.

Pauca hic præmittenda sunt. Primo, de auctoritate hujus Epistolæ. Secundo, de ejus auctore. Tertio, de idiomate et stylo. Quarto, de argumento et scopo ejusdem.

Queritur ergo primum, an Epistola hæc sit Scriptura canonica? Negavit id olim Marcion et Arius, et nuper Lutherus, Brentius, Kemnilius, Magdeburgenses et Anabaptiste; imo vero e Catholicis Cotelanus, scribens in hanc Epistolam, hæc de re dubitat.

Sed respondeo, et dico: De fide est, Epistolam ad Hebræos esse Scripturam canonicam. Ita definit Concilium Florentinum in *Instructione Armenorum*, et Tridentinum, sess. IV. Estque hic Patrum et prisce Ecclesie sensus et consensus: ita enim censuit olim Innocentius I, epist. ad *Exuperium*, et Concilium Carthaginense tertium, *can. 47*, et Laodicense, *can. 59*, Canones quoque Apostolorum, *can. ultim.* Idem docet Athanasius in *Synopsi*; Augustinus, lib. II *De Doctrina Christiana*, cap. viii; Hieronymus, epist. ad *Dardanum*; Origenes et Clemens Alexandrinus apud Eusebium, lib. VI *Historia Ecclesiastica*, cap. xi et xviii. Imo idem asseverat Calvinus, Beza et eorum assecla.

Argumenta octo, quæ contra auctoritatem hujus Epistolæ ab Erasmo et aliis obijciuntur, suis quæque locis dissolvam. Interim vide ea simul congesta et discussa apud Bellarminum, lib. I *De Verbo Dei*, cap. xvii, et Medinam, lib. VI *De Recta fide*, cap. xxv (1).

Queritur secundo, quis hujus epistolæ sit auctor? Erasmus et Calvinus negant esse S. Paulum; et olim Tertullianus, lib. *De Pudicitia*, censuit esse Barnabam. Sed respondeo et dico: Certum est hanc Epistolam esse S. Pauli. Ita Patres Græci et Latini passim, quos citat Bellarminus supra, et Galenus hic. Imo idipsum docet S. Petrus,

(1) De hujus Epistolæ canonicitate a nonnullis veterum, præsertim in Ecclesia Latina, dubitatum est imprimis ob loca quedam perperam intellecta, v. g. vi, 14-9, ubi legitur: *a impossibile est eos qui semel sunt illuminati... et prolapsi sunt, rursus renovari ad penitentiam*; v. qui- bus verbis abutebantur Novatiani ad denegandum lapsis penitentiam, ut suo loco dicitur. Cf. D. Glaire, *Introduction*, etc., tom. VI, pag. 308; Haneberg, *Einleitung*, etc., VIII part., cap. iii, § 80

epist. II, cap. iii, vers. 15: «Sicut, inquit, charissimus frater noster Paulus scripsit vobis, » scilicet Hebræis Christianis, ex Judæa, ob Judæorum persecutionem, profugis et dispersis per Pontum, Galatiam, Cappadociam. Hisce enim tam secundam, quam primam suam epistolam scribit S. Petrus, ut patet epist. I, cap. i, vers. 1; nam hosce Hebræos profugos, et in Græcia alibi peregrinantes signatibi Græcum *ναπηδων*, ut recte advertit Ribera hic.

Dices: Cur ergo Paulus in aliis epistolis nomen suum præfigit suos salutando, hic autem illud tacet?

Respondent aliqui, Paulum nomen suum in hac Epistola quoque posuisse; sed interpretem illud emisisse, sive quod manum nactus sit exemplar, ex quo hæc transtulit, sive oblivione, aliave de causa.

Verum probabilius respondent S. Hieronymus in *Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum*, in Paulo; Clemens Alexandrinus apud Eusebium, loco citato, et alii passim, Paulum nomen suum in hac Epistola tacuisse, eo quod Pauli nomen apud Judæos etiam Christianos male audiret. Habebatur enim Paulus hostis legis Mosaicæ, et Gentilium (qui Judæis invidi erant) patronus. Adde, si se vocasset Paulum, cum illud Gentile et Romanum sit nomen, displicuisset Judæis, quasi ex Saulo Paulus, ex Judæo factus esset Gentilis et Romanus; sin Saulum se vocasset, Gentilibus visus fuisset a Gentilibus ad Judæos, et a christianismo ad judaismum velle redire. Prudenter ergo nomen suum subiecit, ne hos illosve nomine suo offenderet.

Addunt nonnulli, videri Paulum eadem de causa hanc Epistolam tradidisse Barnabæ, ut ipse eam quasi nomine suo vulgaret, ideoque a Tertulliano Barnabæ eam adscribi. Verum Paulus seipsum et nomen suum Hebræis satis indicat, cap. ult. vers. 23.

Secundam causam cur Paulus nomen suum hic sileat, affert Theodorulus et Clemens loco jam citato, videlicet modestiam Pauli, quia scilicet ipse in hac Epistola prædicit et celebrat Christum, primum Hebræorum Apostolum. Bursium, quæ

Osten-  
ditur Ep-  
istola  
hanc esse  
Scriptu-  
ram ca-  
nonicam.

Cur  
nomen  
D. Pauli  
hinc  
Epistola  
non gra-  
vetur?

Prima  
causa.

D. Pau-  
lus aucto-  
r hujus  
Epi-  
stolæ.



Hebraei curae Petri et Jacobi erant commisi : Paulus vero non Judeorum, sed Gentium erat doctor et Apostolus. Hac de causa noluisse se nominare, quia simul se de more vocare debuisset eorum Apostolum; quod noluit, sed hunc titulum tum Christo, tum S. Petro et Jacobo concessit : unde Paulus Hebraeis hic scribit, non quasi doctor et Apostolus, sed quasi eorum socius et amicus, ut patet cap. ult. vers. 3.

Addunt aliqui tertiam causam, scilicet hanc fuisse Hebraeorum consuetudinem, ut in epistolis nomina sua non praefigerent. Quae consuetudo colligi videtur ex IV Reg. x, 2. Sed haec causa non satis certa aut solida videtur (1).

Quaeritur tertio, qua lingua conscripta sit haec Epistola? Aliqui, cum Origene et Clemente Alexandrino loco citato, respondent graece esse scriptam, ita ut sententia et res sit Pauli, phrasibus vero et stylus S. Lucae aut Clementis, ideoque sit elegantior aliis Pauli epistolis. Verum sic non tam Paulus quam Lucas aut Clemens hujus Epistolae esset auctor et scriptor hagiographus, utpote scribens et concilians singulas hujus Epistolae sententias, non ex se, sed ex instinctu Dei et dicente Spiritu Sancto.

Dico ergo cum S. Hieronymo in *Catalogo Scriptorum Ecclesiae*, in *Clemente*, cum Theodoro et Oecumenio hic, cum Clemente Alexandrino supra, Paulum scripsisse hanc Epistolam, hebraice, utpote Hebraeum Hebraeis : hebraice inquam, non pure, sed corrupte, puta syriace, uti locuti sunt Judaei post reditum e Babylone et tempore Christi. Scripsit itaque Paulus hanc Epistolam Hebraeo, id est suo vernaculo eloquio disertissime, et pari eloquentia versa est in Graecum a Luca, uti censuit Clemens Alexandrinus apud Eusebium,

(1) Contra *authenticam* multi cum Origene argenti styli discrepantiam, quod tempore hujus Epistolae stylus sit multo entior et elaborator eo, quem in aliis Pauli epistolis deprehendimus. Sed respondet primo Macknight, *Pref. to the Epist. to the Hebrews*, vol. IV, pag. 7. hanc Epistolam Epistolis ad Ephesios, ad Colossenses, ad Philimonem affectibus et elocutione (in respect of sentiment and language) vix antecellere. Secundo, juxta Glaire, op. cit. pag. 218, hujus, si adsit, discrepantiae plures sunt cause : Prima est, quod Paulinum hoc opus tractatus potius, seu dissertationis, quam familiaris epistolae formam induat : secunda est, quia impensiori cura, diligentiorque adhibito tenore, ad Palaestinos Judaeo-Christianos sibi abalienatos, scribere debuit : tertia est ipsa rerum tractandarum subtilitas, cui laborata atque incuriosa oratio repugnabat.

Hic quari potest, an negantibus Epistolam ad Hebraeos a D. Paulo fuisse scriptam, merito imputetur haereses nota. Negant contra quosdam Melchior Canus et Estius, quia hujus Epistolae *canonicitatem* tantum, non vero *authenticam*, concilia definiunt; ita et D. Glaire, ibid., pag. 222 : recte, ut videtur. Hinc Erasmus asserentem de Epistola ad Hebraeos auctore semper fuisse dubitatum, sequi adhuc dubitare, sic damnat Parisiensis theologiae facultas : « Haec duae propositiones *arruguntur et schismatice* (non dicit *haereticæ*) efferuntur, contra usum et determinationem Ecclesiae in multis conciliis, » etc.

lib VI *Hist.*, cap. xi : vel potius, ut Eusebius, Hieronymus, Theodoretus et Oecumenius, a Clemente Romano, cujus epistola ad Corinthios cum hac ad Hebraeos et stylo et sensu valde consentit. Et haec est causa cur inter hanc ad Hebraeos et alias Pauli ad alios epistolas, magna sit styli dissimilitudo.

Dices : Si scripsit hebraice, cur ergo citans scripturam veteris Testamenti, non eam citat juxta textum Hebraeum, sed juxta versionem Septuaginta.

Respondeo : Paulum in autographo Hebraeo citasse scripturam juxta textum Hebraeum, sed Graecum interpretem substituisse versionem Septuaginta, utpote Graecis notiore. Ita textum Hebraeum citavit Paulus in Syria, id est Antiochena, synagoga, *Actor. xiii*, 33 et 41, ubi tamen Lucas Graecis graece scribens, versionem Septuaginta substituit : id ipsum fecit quoque interpret S. Matthaei, cap. xiii, vers. 14, et alibi, ut ibidem Jansenius et alii annotarunt. Nisi malis dicere cum Ribera, Galeno et Baronio, tom. I, pag. 677, illo tempore versionem Septuaginta fuisse vulgatam apud omnes, tam Judaeos, quam Graecos, et e Graeco in Syrum idioma fuisse conversam, illudque citasse Paulum : unde et Josephus et Philo, Hebraei licet, Septuaginta tamen sequuntur et citant potius quam Hebraea ipsa autographa.

Dices secundo : Si hebraice scripsit haec Paulus, cur ergo Hebraeum nomen unum per aliud interpretatur, dicens cap. vii, vers. 1 et 2 : « Melchisedec, qui interpretatur rex justitiae, » et : « Rex Salem, id est pacis, »

Respondent aliqui, non Paulum hanc Hebraea nomina interpretatum esse, sed interpretem Graecum hasce interpretationes Paulo addidisse. Verum id dici nequit : ipse enim contextus arguit eas esse Pauli ; nam in hisce interpretationibus magnam argumentationis suae vim ponit ipsemet Paulus. Dico ergo, ipsummet Paulum Hebraeos hasce voces interpretatum esse per alias similes, vel per eandem, sed divulsas et separatas, ut ear magis inculcaret, et sensum in iis latentem explicaret et perurgeret, dicendo vers. 2 : « Melchisedec idem est quod *melech*, id est rex, *sedec*, id est justitiae ; sicut latine quis recte interpretatur, dicens, frugifer idem est quod frugem ferens, conriger idem est quod cornu generis. Adde, Apostolum Hebraeos voces non interpretari per Hebraeos, sed per Syras quibus tunc loquebantur Judaei : sicut jam Syrus interpres (quem nonnulli putant non esse interpretem, sed ipsum autographum Pauli, quod mox examinabo) interpretatur eadem nomina dicens, *Melchisedec*, id est, *malca bekinnita* (2).

Queres hic, an textus Syriacus qui extat in Bibliis Regiis, sit ipsum Pauli autographum ; multis id suadere conatur Albertus Widmanstadius, Ferdinandi Imperatoris nuper Cancellarius, qui

(2) Cf. D. Glaire, op. cit., pag. 492, (ut Paulum Graeco scripsisse hanc Epistolam evincere satagit.

primus novum Testamentum syriace in Europa imprimi curavit, et Guido Fabricius, qui illud in Latino convertit, atque Matthaeus Galenus, Duacensis Cancellarius, qui in hanc epistolam commentans Syrum praeter Graeco sequitur et explicat.

Verum hoc valde incertum est et parum probable. Viris enim doctis textus hic Syriacus recentior et ex Graeco tractatus videtur, praesentim cum idem, siquae per omnia similis extet in omnes Pauli et aliorum Apostolorum epistolas, omniaque Evangelia, quae non dubium est primitus conscripta esse graece, non syriace, atque in Syriacum a Syro quodam interprete esse conversa. Quem licet Syri putent fuisse S. Marcum Evangelistam, tamen verus est non Marcus, sed alium Marco longe posteriorem fuisse : nam S. Cyrillus, Clemens, Athanasius, Theodoretus, Damascenus et alii, qui in Syria, vel Egypto vixerunt et scriperunt, hujus versionis Syriacae non meminerunt. Rursus hunc Syrum textum non esse Pauli, nec Marci, nec primi illius aevi Christiani, patet ex eo, quod haec Syriaca versio phrasibus et idiotismo discrepet a Syra lingua, qua loquebantur Judaei tempore Christi, Pauli et Marci. Nam *Matth. xxvii*, 8, pro *haceldama*, uti dicebant Judaei tempore Christi, Syra jam versio habet אגרות דכנא אגרות דכנא, ubi graecizat. Nam ex אגרות, id est ager, format *agures*. Sic *Matth. xxvii*, 46, pro *Eli Eli*, uti dixit Christus, Syrus jam habet אלהי אלהי. Sic pro *Jerusalem*, Syrus vertit *Ourischlem*; pro *Kephais*, *Kipho*; pro *Pascha*, *Pezcho*; pro *Golyota*, *Golgoutto*; pro *Joseph*, *Jauseph*; pro *Jacob*, *Jaacoub*; pro *Messia*, *Meschicho*; pro *Mose*, *Mousche*; pro *Esau*, *Isau*; pro *Isaac*, *Ischok*; pro *Israel*, *Isroiel*; pro *abel*, *Hobel*; pro *Cain*, *Kain*. Ex quibus alisque patet, alio idiomatico locutum esse Christum et Judaeos, alio vero Syriacum hanc novi Testamenti versionem esse conscriptam.

Extat quoque haec Epistola pure hebraice impressa. Verum hoc non esse autographum S. Pauli, quin potius illud a quopiam Hebraeo ex Latino vel Graeco in Hebraeum esse tractatum, facile quis doctus deprehendat.

Tale est et Evangelium S. Matthaei Hebraicum ; quod Sebastianus Munsterus, et post eum (quinquebarboreus edidit, asserens se illud a Judaeis extorsisse. Quasi vero soli Judaei hostes Christi infensissimis, illud Christianis negligenter per tot annorum centurias tam studioso custodierint. Adde hoc opus spurium et s. supposititium esse, satis colligitur ex eo, quod in margine saepe alias et plane diversas ab iis quae sunt in textu voces synonymas pro textu substituit, quodque verbosum Latini textum referat, et saepe nimis puerriliter hebraismos consecretur.

Talis est et Tobias Hebraicus, quem Paulus Fagius, vir aequae ac Munsterus suspectae fidei, Constantinopoli, ut ipse ait, acceptum edidit, et pro autographo suppositum. Testatur enim S. Hieronymus in prologo qui Tobiae praefigitur, Tobias

non Hebraeo, sed chaldaeo sermone, utpote in Assyriaca captivitate, esse conscriptum. Unde, phrasibus Hebraicam hujus Tobiae videri nimirum alicujus Rabbini aut Hebraei, utpote quae ita puerriliter saepe Graeco textui responderet ad verbum, ut plane ex eo traducta et expressa videretur, resicet tamen quibusdam quae traductori displicebant. Insuper fingit hic auctor Tobiasiam cum curari non posset, ivisse in Alemanniam. Nimirum hoc omnes libros Alemanni alicujus Lutherani aut Judaei, et forte ejusdem a quo primo editi sunt, fetus supposititios esse, suspicari licet.

Quaeritur quarto, quodnam sit hujus Epistolae argumentum? Respondeo : Scripta est haec Epistola quasi circularis ad Hebraeos omnes toto orbe dispersos, sed maxime ad Hebraeos in Judea degentes, ut per omnes eorum Ecclesias legeretur. Id patet cap. ult., vers. 23, ubi se cum Timotheo propediem ad eos, scilicet in Judaeam, venturum significat. Cur dicti sint Hebraei, dixi *Id Cor. xi*, 22.

Hebraei itaque scribit Paulus hoc fine et scopo, ut nimirum eis ostendat et demonstrat dignitatem Christi et Evangelii, cui credere debet Moses et lex vetus, ut scilicet eos a judaismo omnino, integre et perfecte transferat ad christianismum, in eoque confirmet. Ita Scholastae Graecus, Primasius, Sedulius et alii.

Hac de causa Paulus Hebraeis hic proponit, et probat primo, divinitatem et dignitatem Christi. Secundo, ejusdem sacerdotium, scilicet unicum Christi in eorum sacrificio, omnibus veteribus adumbratum, solum fuisse sufficientem ad nostram omnium redemptionem perficiendam. Tertio, demonstrat Christi officium esse, ut per suum sanguinem sit peccatorum omnium expiator, demptor, mediator, et pontifex noster ac caeli reserator. Quarto, offert differentiam et excellentiam Testamenti novi praeter veteri. Quinto, consolatur eos qui a Magistratibus Judaicis, permittentibus Romanis praesidibus, propter Christi fidem, et a lege Moysi defectionem, quasi apostatae bonis suis spoliantur, variisque modis divebantur. Imo, si credimus S. Chrysostomum, consolatio haec et confirmatio eorumdem, scopus est totius Epistolae. Denum morum instructione et preceptis ethicis hanc Epistolam Paulus more suo concludit.

Scripsit hanc Epistolam, ut ait cap. ult., vers. ult., ex Italia, scilicet Roma, non anno Neronis 14, cum Romam ex Hispania secundo rediit martyrio coronandus, ut volunt aliqui ; sed cum in primis vinculis causam suam feliciter apud Neronem perorasset, ejusque liberandi spes optima affulgeret, ut colligitur cap. ult., vers. 23, anno scilicet Neronis quarto, qui fuit Christi sexagesimus (1). Ita cum Chrysostomo, Galeno et aliis Baronius.

(1) Hanc Epistolam Sepp ait scriptam fuisse Roma, anno Christi 58. Vide Chronicon *Actis Apostolorum Romanorum*.

Qua  
lingua  
scripta  
est a D.  
Paulo  
Epistola  
haec?

Totus  
Hebraeus  
hic spo-  
nitur.